

fieret, quod ipsum peccatum paulò post derelictio Spiritus Domini secuta est. Secessit hic itaqve ab eo, atqve ita quidem secessit, ut non dona modò gratiosa, quæ ipsi antea communicaverat, eidem subtraxerit, sed suâ etiam arctiori præsentia, quâ eum hætenus fuerat dignatus, quamve specialem & gratiosam appellant Theologi, ulterius ipsi adesse noluerit.

§. X. Inquis: Concedam ego, Saulem peccatum longè atrocissimum inobedienciâ suâ commisisse, adeò, ut Samuel id jure ipsi potuerit exprobrare, justâqve percussus indignatione hisce eum verbis alloqui: *An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ: Ecce auscultare est melius sacrificio, & attendere adipe arietum. Quin sicut peccatum divinationis est rebellio, & sicut superstitio & idololatria est repugnantia: quia spreverit verbum Jehovæ, sprevit similiter Te, ne sis Rex. Quamobrem sit ita, amiserit Saul gratiam divinam, excusserit Spiritum Sanctum, foedusqve cum Deo erectum fregerit, nonne & poenitentiam ipsum egisse legimus? Sane quemadmodum lapsum illius describit Sacra Scriptura, ita similiter ejus reditum silentio non præterit. En ejus Confessionem, quam exponit Samueli: *Peccavi, quod transgressus sum præstitutum Jehovæ, & verbatua: quia timui populum, ideò auscultavi voci eorum. En remissionis petitionem: Nunc autem condona quæso, peccatum meum, & revertere mecum, ut incurvem me, Jehovæ honorem habiturus. Quinimo dolor maximè serius animum Saulis occupâsse videtur, dum enim Samuel cum eo reverti abnuit, is adeò arctè apprehendit illius pallium, ut id etiam rumpere. Nec cessavit instando, donec his ejus petitis satisfaceret Samuel, cumqve eo reverteretur, ubi quoqve Saul se incurvâsse ac Jehovæ honorem præstitisse legitur. I. Sam. XV, 22. 23. 24. 25. 27. 31. Quid obstat igitur, quò minùs affirmemus, profuisse Sauli hanc poenitentiam.**

nitentiam